

imus, instituit hoc loco commendare doctrinam aliquam, ut summam omnium & omnis veritatis compendium; quod & mox dicit. *Facere multos libros, sine caret.* quasi dicat, Si quis de singulis rebus accuratè & plenè scibere velit, nullus erit finis. Tanta est bonarum rerum copia & sapientiæ divinæ profunditas. & *lectio multa est defatigatio carnis, v. 12.* Ergo studium diffusius minùs utile est, facitque animum vagum, incertum, ἀσικλον in maximis; corporis quoque vires imminuit, & affligit, ut labori charitatis magis necessario deinde minùs sufficiat. Non omninò rejicit librorum copiam & lectionis sedulitatem (Nam, ut ait Apostolus Col. 3:16. verbum Dei inter pios copiosè habitare debet; & ipse Solomo multas parabolas aptavit: quarum partim in Canonicis libris perscriptæ sunt ad usum Ecclesiæ, partim interierunt: licet ab eodem spiritu essent) sed docet, non nimis evagari ad minùs necessaria, & semper id in memoria retinere, quod præcipuum est, eoque cætera omnia referre. *Láhag* ἄπαξ λεγόμενον est. Chald: studium sententiarum legis. LXX. μελέτη. R. Sol. *girsá.* Ab. Ezra, *Keriah.* Is vult Arabicum esse. cui sitne adhibenda fides in talibus, nescio. Textus clamat, lectionem, meditationemque librorum, aut quid simile, intelligi debere. Prope est, ut credam, ita formari ab *Hagáh*, ut *leshad* à *schadáh*, *lebhád* à *badad*. Et Pagninus eodem refert.

v. 13.

c. Excitatione ad auscultationem. Vide

α. Objectum. β. subjectum. γ. Actum. *Summam verbi*, hoc est, id, quò tendunt omnes hi sermones, & à quo omnium sapientum spiritu Dei illuminatorum dicta pendent & tanquam à centro lineæ proficiscuntur. *Omnes sapientes & tardi, parvi & magni.* excludit *διασολω* ut πάντες, Gal. 3:26. 28. 4:26.) Nimirum summum illud præceptorum est, quod ad omnes ex æquo pertinet. Priva enim nulli est salutis via. Non eruditione quisquam servatur, aut gratus Deo est; non ruditate ingenii damnatur & Deo minùs gratus fit. Verissima sapientia est, quam Deus abscondit à sapientibus, revelat infantibus. Adeò & sapientes, si salvari velint, infantes fieri necesse est. *Audiamus.* Discendum enim hoc omnibus. Caro enim legi & sapientiæ Dei non subjicitur. Audien-  
tia

gia